EQVITIS POL


Prophetia S. Hyldegardis Brouij T. XV.
Fol. 465.

Saluatores nominantur. ab Equite .fol. 4.

1626

Joannis Broscii Curzelouiensis Medicinae Doctoris ordinarii Astrologi. post mortem ipsius Bibliothecae maioris Collegii in Academia Cracouiensi. rogat autem ut omnia quae hic inserta sunt, integre ad posteritatem conseruentur aliogin unitatem hanc

Destruenti anathema
Conseruanti benedictio.

2.0. 

IX. 10. 1.

Contactus . ad punctum

Vulgaris hic oculus caligabit diffidetque plurimum.
Procul este prophani.

inter 9 et 10 reponitur Proca Dawidowa Zahrzewii Calissii impressa etsi locus non exprimatur, scriptum maledicum ab ipsis Iesuitis consarcinatum sub nomine Zahrzewii ipso consentiente evulgatum. omnia enim quae in illo continentur ego audivi ex ore Friderici Schembek Iesuitae, audiverunt et alii. Zahrzevius vero pauper Cracoviae studuit atque Bursarum consuetudines nullo modo scire potuit alio, quam ex relatione Iesuitarum tragoediam istam adornantium.

Contenta in hoc volumine

1 Equitis Poloni actio in Iesuitas prima
2 Spongia contra Equitem Polonum
3 Actio Arnaldi in Parlamento Parisiensi
4 Praeparatio de iudiciis
5 Ad Paulum quintum pro Republica Veneta Oratio
6 Gravis deliberatio de compescenda audacia conatibusque Iesuitarum
7 Odpowiedz na Artykuł przeciwko Iezuitom starym
8 Responsio ad repraesentationem Iesuitarum
9 De Ignatio conceio Zahrzewii Calissiensis
Proca Dawidowa Zahrzewskiego
10 Obiaśnienie przeciw Iezuitom Stacheza polskiego
11 Tarcza obrony przeciwko procy
12 Vindiciae adversus Zahrzewski
13 Confutatio convicii Zahrzewski
14 Expostulatio Borussii stylo durissimo
15 Gratis, Przymówki, Consens.
16 Epistola cuiusdam ad quendam
17 Ad senatores Regni Poloniae scripta contra Iesuitas
18 Widok stołecznego Iezuicki S. Xawerego obraz.
Destinatis anathema
Conservantibus benedictio.

Ioan. Mariana Hispanus Iesuita libro 220

Antiquis temporibus qui ex Monachis Episcopi ac summi Pontifices extiterunt numerare vix licet, nostra aetate vix unum aut alterum eorum non tam [illegible] integritate quam malis artibus ambitiosos cuiusq[ue] esse perspectos consideramus. Vide libro illud caput.

AD PAVLVM V PONTIFICEM MAXIMVM

PRO

REPVBLICA VENETA.

Oratio.

Pauli Veneti Servita
qui mortuus est anno
1624 Venetiis
in Februario

MDC VII.

AD

PAVLVM V. PONT. MAX.

PRO REPVBLICA VENETA Oratio.

QUIS mihi tribuit,ut cognoſcam, & inveniam illum, & veniam uſque ad ſolium eius? Ponam coram eo iudicium, & os meum replebo diſceptationibus. Nolo multa fortitudine contendat mecum, nec magnitudinis ſuæ mole me premat. Proponat æquitatem contra me; & ad victoriam perveniet iudicium meum.

Antiquiſſimus, tolerantiſſimusq; ille Arabs, an Idumæus, quem neque filiorum interitus, nec rei familiaris naufragium, nec acerbiſſimi corporis cruciatus, nec uxoris imprudentia, nec amicorum iurgia de gradu conſtantiæ deijcere potuerunt, ut ſcis, Beatiſſime Pater, his verbis eſt vſus. Quæ ego nuper cum legerem, tacita animum ſubijt cogitatio, fas ne mihi, tanti viri ſequi veſtigia auguſtiſſimumq; ad Tribunal tuum accedere, & paulò liberius tecum, ea de re, qua nulla mihi gravior, aut ad doloris ſenſum accerbior unquam accidit, te ipſo iudice, & arbitro, (quo enim poſſim alio?) diſceptare. Et quoniam optimũ, ac præſtantiſſimum illum hominem, quanquam tam liberè locutum, nuſquam legimus à Deo Opt. Max. arrogantiæ, aut temeritatis condemnatum, quin potius contra ſummè laudatum; iccirco magnam ſpem cœpi fore, ut & tu, qui Dei vicem in terris geris, & mortalibus præes, mortalis tamen, mihi non tam pro me, quàm pro Patria quæ optimo cuique debet eſſe vitâ carior, diſſerenti facilem aurem dares, & pau

lisper cum altitudinis oblivisცereris tuæ, tum mediocritatis, & tenuitatis meæ. Audi igitur obſecro B. P. & ſi quid æqui boniq; attulero, lubens amplectere. Sin aliquid fortè peccaro, (Quis autem eſt, qui ſolo tam lubrico ſine prolapſione ingredi poſſit?) ne id continuò malitiæ adſcribito, ſed vel inſcitiæ, vel nimiæ in Patriam caritati; illudque in primis pro explorato habeto, me nunquã culpæ pertinaciam additurum. Quod ut magis perſpicuum ſit, ita prædico, & diſertè quidem, ac benè Romanè teſtor. *Quicquid hîc factum, dictumve, quod à Fide Catholica, aut Sanctorum Patrum ſcitis abhorreat, infectum, indictumve eſto.* Sed ad rem venio.

Urbi Venetæ, cunctiſq; Civitatibus, oppidis, municipijs, quæ intra Veneti Imperij fines continentur, ſacrorũ uſu interdixiſti, Sereniſſimũ Principem noſtrum, qui cum virtute, integritate, prudentia, tum vitæ ipſius, pro ſuis civibus, effundendæ cupiditate, cum veteribus illis Deciis Curiis, Regulis, Catonibus, alijs eiuſmodi viris, meritiſſimò conferri poteſt, in numero impiorum habendum iudicaſti, Senatum illum, quo nullus in terris amplior, magnificentior, auguſtior, Chriſtianorum cæ, tu excluſiſti, uno verbo, illam Remp. cui nullam hodiè neq; ævi diuturnitate, neq; iuris æqualitate, neque Libertatis conſervandæ ſtudio, neque Civium concordia, obedientia, neque fortaſſe rerum geſtarum gloria, parem videmus, gubernatione, quantum in te fuit, orbaſti, & tãquam informe cadaver eſſe voluiſti, capite ei ſublato, & adempto. Quod ſanè factum, quanquam à te, id eſt, à communi omnium Chriſtianorum parente, eoq; optimo, & Sapientiſſimo profectum, haud perinde tamẽ, ſi ſunt vera, quæ audio, cunctis probatur: magnorum enim motuum origo, et Italiæ calamitatum ſeminarium futurum putatur. Itaque ut ſunt libera hominum ingenia, & à conſvetudine jam impetratum eſt, ut populus ſit Principum iudex, eorumque non ſolùm facta, ſed etiam dicta in diſceptationem vocet, non deſunt, qui obloquantur. En, inquiunt, qui pacem alere, incendia extinguere, bella finibus Italis quam longiſſimè arcere debuit, bellorum ipſe auctor, & concitator eſt factus. En qui navem è medijs fluctibus in portum tranquillitatis perducturus exiſtimabatur, ſtatim ut gubernaculo admotus eſt, in ſcopulos, in ſyrtes eam adegit. At quam Urbem perturbandam, & inſectandam ſuſcepit? eam nempe, qua nulla religioſior, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ addictior: quę ſi non extaret, ſummo Italia careret ornamento, res Chriſtiana

pręſidio

præsidio Libertas perfugio, natura miraculo: quam ipse immortalis Deus, per mille ducentos annos, sartam tectã, integramq; servavit: quæ pro Pontificibus maximis, non opum tantùm, non pecuniarũ, verùm etiam sui fuit ipsa sanguinis prodiga cuius amplitudine & incolumitate nihil Sedi Apostolicæ conducibilius, periculo & calamitate nihil calamitosius posset accidere. Hoccine humanum facinus? hoccine tam boni, tam pij, tam amantis officium Patris? At quas ob causas tam acriter in hanc urbem ensem distrinxit? ob istas planè, quòd Patres illi gravissimi, ne fortunis omnibus exuantur, ne, quicquid sub cœlo Veneto homines arant, serunt, ædificant, omnia veluti quodam Oceano Ecclesiæ absorbeant, nihilque sibi reliqui fiat, unde Remp. Patriam, tecta, templa, aras, focos, sepulcra maiorum possint defendere, providendum: & inconsultam hominum liberalitatem spoliantium suos, ut Ecclesias ditent, non tollendam illam quidem, aut impediendam, sed moderandam nonnihil putârunt: Quod Sacerdotes facinorosi, Fori prę scriptione cuncta sibi licere arbitrantes, post scelus admissum exultantes, ante oculos Iudicum audacter volitantes, de legibus, de Magistratibus, de Iustitia ipsa profligata, victa, conculcata, triumphantes ferri non potuerunt: Quòd Monachorum opulentissimorum, qui fundis perpetuarijs inhiabant, & plerosque mortales spoliare, sua autẽ commoda augere in immensum studebant, nimiæ cupiditati obviamierunt, & pro Laico contra Cænobium iudicarunt: Postremò, Quòd ne hostes pro Civibus, oppugnatores pro propugnatoribus, Lupi pro agnis, intra Urbium suarum viscera, clam, palam versari & pro sacellis castella, pro aris arces exstruere possint, prospexerunt. Hæ propemodum B. P. Summorũ, mediocriũ, infimorũ sunt voces. Hi vulgi rumores Cuius sanè vulgi iudicium nullus Princeps bonus unquam contempsit; quæ iccirco cõmemorare non alienum putavi, quòd huiusmodi querelis ad Princpũ aures accedere volentibus, sępissimè aditus intercludi solet. Sed ne populari sermone, & inconditæ multitudinis opinione ad causæ hus u patrocinium abuti velle videamur, age rem ipsam putemus.

Objicitur Venetis Senatusconsultum, quo bona soli Ecclesijs legar ea demum lege permittuntur, ut intra præstitutam diem, precio eisdem Ecclesijs adnumerando, vendantur, Quid tandem novi, quid insoliti, quid iniqui Senatusconsultum hoc habet? An non vetustum, tralaticium

longo iam vſu receptum, moribus vtentium approbatum, tacito conſenſu, vel loquenti, vt ita dicam, ſilentio multorum Pontificum confirmatum? Quis eſt enim qui ſibi perſuadere poſſit, Pios, Paulos, Sixtos, Innocentios, Alexandros, Iulios, Leones, Gregorios, Clementes, alios innumerabiles, hanc rem ignoraſſe? Scilicet Veneta Ciuitas obſcura, aut extra anni, Soliſque vias ſita, vnde raræ Romam litteræ, rarus nuncius? Scilicet apud nos non ordinarius Pontificis interpres, qui quæ in Senatu aguntur, eaque præſertim, quæ ad Eccleſiaſticæ rei ſtatum pertinere exiſtimantur, ſtatim perſcribit? Quid igitur cauſæ fuiſſe dicemus, cur res tam vſitata, tam antiqua, adeo te commôrit, vt tantam, tamque periculoſam tempeſtatem excitandam putaris? Quanquam quid de hac lege tanquã apud nos nata, à nobis primùm excogitata, diſputo? An non exſtat apud alias gentes, & nationes? Tacebo de Gallis, Hiſpanis, Luſitanis. Annus humanæ ſalutis 1266. agebatur, cum in Anglia (Hem; quid ad nomen Angliæ ſubſtitiſti? non de hac Anglia, quæ nunc eſt loquor, ſed de illa veteri, quæ ſtudijs, animis, opibus, fuit cum Eccleſia Romana coniunctiſſima.) Annus igitur 1266. agebatur, cum in Anglia ſub Henrico tertio Sancitum eſt, ut nemini homini liceret, dare prędia Collegijs Monachorum. cui Sanctioni, anno 1290. illud additum, ut non liceret etiam Monachis, aut alijs Sacerdotibus, emere poſſeſſiones; quo ne poſſeſſiones eiuſmodi Cœnobiorum, aliorum vè Sacerdotiorum dotes fierent. quam legem ad Manumortuam vocarũt; propterea quod res ſemel datæ Eccleſijs, & Collegijs, velut mortuæ vſui aliorum mortalium in perpetuum ademptæ eſſent. quæ lex diligenter ſervatur, ſic, ut nihil poſſeſſionum Ordini Sacerdotali à quoquam detur, niſi Regis permiſſu. ita monumentis Anglicis proditum, quem locum integrum totidem penè verbis haud piguit recitare. Quid hic quæſo dicetur? Henricum tertium hominem impium, aut impurum fuiſſe? at fuit religioſiſſimus. omnes, qui eum inſecuti ſunt, Reges ab Eccleſi aſticis inſtitutis abhorruiſſe? at quid Edouardo tertio, Henrico quinto, Edouardo quarto, Henrico ſeptimo, pietate præſtantius, rei divinæ ſtudioſius, ad ſacerdotium colendum, iuvandum, augendum, promptius, aut paratius? Hi igitur tanti, tam pij, tam religioſi Principes hanc legem non abrogaſſent, ſi iniquam, ſi repugnantem Eccleſiaſticæ Immunitati, ſi ab eo, cui ius non eſſet legis condendæ, latam iudicaſſent? aut, ſi ipſi vltrò abolere noluiſſent, non Gregorius decimus, ſub

quo eſt lata, non alij, qui poſtea ſummum in terris apicem obtinuerunt, vt abolerent, mandaſſent? atqui nullus mandavit. Quid igitur aliud dicere poſſumus, niſi eos aut ignoraſſe, aut neglexiſſe, aut tacitè conſenſiſſe? Ignorationis tot Pontifices vigilantiſſimos condemnare, turpe: Negligentiæ, nefas. Reſtat igitur tertium, ut & ſciſſe, & non neglexiſſe, ſed conſenſiſſe cogamur confiteri.

Sed age, miſſa faciamus exempla, Nil horum ſit. ne ſit antiqua lex iſta, non aliunde ad nos manârit. non à Regibus pijs condita fuerit, & ſervata. non eam Pontifices taciturnitate coniuncta cum ſcientia comprobarint, ſit recens, ſit noſtrum inventum. Iuſta ſit, nec ne videamus; & rationem in diſputando ſequamur ducem. Aiunt qui Eccleſiaſtici iuris apprimè retinentes ſunt, ob Murorum cuſtodiam, etiam Sacerdotibus pecunias imperari poſſe. At, Deus bone, quæ nam ſunt Venetę mœnia Civitatis? Montes: Maria: Flumina. Quæ nam excubiæ? Copiæ militares multis in inſulis maris Aegei, præſidij cauſa, collocatæ, quadraginta triremes, quæ Adriaticum ſinum tuentur. Arx Palmę, cuius ędificatio nummum aureorum vicies centenis millibus conſtat: annua verò cuſtodia centenis millibus. Cuiuſmodi Arcem ſi olim fauces Italiæ habuiſſent, nec Hunnorum, nec Turcarum, nec aliarum nationum aliqua hàc irrumpere potuiſſet incurſibus. Cum igitur tam immanem vim auri Venetus Princeps in tot copias, tum maritimas tum terreſtres, alendas impendat, quæ noſtris mœnibus præſidio ſint, & iccirco etiam à Sacerdotibus pecunias iure poſſet exigere, quod tamen non facit, adeo ne indignum, & non ferendum facinus cuiquam videatur, ſi bona apud ſuos cives aſſervanda curavit, vt his ſaltem tributa poſſint imponi? Etenim ſine tributis quæ pecuniæ ſuppetent? ſine pecunijs quæ poterunt militibus dari ſtipendia? ſine milite quæ poterit adverſus hoſtes armatos eſſe defenſio? An expectandum, dum ſint ad portas? dum Vrbem oppugnent, & circunuallent? & tum demum ad Sacerdotes qui nobis opitulentur, confugiemus? Næ haud quiſquam tam prudens auctor mihi perſuaſerit, potius extremum ſubeundum diſcrimen, quam id ne ſubire cogamur, prævertendum.

Boni Principis eſt, antequam legem ſanciat, bonos, ſapientes, ac fideles amicos in conſilium adhibere; cum his omnia communicare; ſingulorum ſententias exquirere; meliores probare. At quibuſnā conſultoribus Principem Venetum vſum arbitraris, tum cum factum eſt hoc

Senatus

Senatusconsultum? odio ne, aut invidia in Sacerdotes, in Ecclesias, in looca pia? minimè verò minimè. Etenim ita facti, instituti, atque imbu ti sumus, vt & interno, & externo cultu religionem veneremur, quam qui maximè; vt templa cupiamus esse quàm ornatissima; vt in vsus pauperum aut noua quotidie ædificia exstruamus, aut vetusta, iamque collabentia instauremus; vt Sacerdotium piè colamus, libenter iuuemus, largè augeamus; vt rei diuinæ quotidiæ non interesse, nefarij sceleris loco ponamus; vt omnia prospera nobis euentura pietatem colentibus arbitremur, aduersa spernentibus; vt, quòd ex paruis initijs ad id magnitudinis & Vrbs, & Resp. nostra peruenerit, puro, integroque diuini numinis cultui, qui semper apud nos viguit, potissimum referamus acceptum. Quinam igitur nostri Consultores fuerunt? Patriæ caritas; Publica vtilitas; Populorum salus; Prisca, & vno eodemque partu, cum Vrbe Veneta, nata, & nunquam, vt speramus, Vrbs ipsa dum stabit, moritura Libertas. Et quod de huiusmodi Consilij sententia decretum sit, justum necne sit, dubitamus?

Apud quandam Italiæ Vrbem lex est, qua mulier filios habens vltra dena ex singulis centenis legare prohibetur. Quis hoc audito non continu ò exclamet, legem hanc iniquam, impiam, nullam esse? at vir omnis diuini, humanique iuris consultissimus, & sui sæculi præstantissimus, & valere, & iustam esse respondit: idque ex auctoritate Diui Augustini, qui tantum non detestatur eos, qui vt Ecclesias instituant hæredes, filios exheredant. Conferamus nunc, B. P. Legem illam cum nostra illa à decurionibus alienæ ditioni subiectis condita est: hæc à Principe. illa certum legandi finem præscribit. hæc nullum. illa sine exceptione loquitur: hæc bona vendi iubet, nisi tamen aliter Magistratibus visum fuerit. illa filiorum commodum respicit: hæc Patriæ incolumitatem, amplitudinem, dignitatem, quæ profectò Patria filiorũ, parentũ, vxorum, affinium, omnes denique omnium suo amplexu, & gremitu continet caritates. Sed si illa valida, æqua, iusta; quam multis partibus nostra validior, æquior, iustior? at de qua Patria conseruanda laboramus? de ea sanè, cuius nobilitas tanti est, vt plerique Italiæ proceres, Pontificum maximorum nepotes, Reges etiam exteri, eius se participes factos, non indecorum putarint.

Atenim Leges omnes Principum profanorum, quæ de Ecclesiis, Ecclesiasticisvè rebus, aut personis quippiam statuunt, infirmæ, irritæ, nullæ sunt, ideoque abolendæ. Prouinciam sumseris grandem B. P. si omnes-

omnes hasce leges abolendas curaris. Quæ enim in Italia Civitas, quod oppidum, qui pagus, vbi eiusmodi aliqua lex non exstet? Quòd si regna & provincias exteras peragremus, quam multa itidem Decreta, Edicta, Constitutiones, de religiosis quibusdam Collegiis non admittendis, de Ecclesijs non ædificandis, de Sacerdotiorum possessione, iniussu Principum non adipiscenda, de funerum impensis minuendis, de Magistratibus profanis, in causa Decimarum adeundis, de alijs hujusmodi rebus, reperiemus? Itaque aut hic orbis cardo non solum magno cum sonitu, verùm etiam cum summa rerum omnium perturbatione tibi vertendus est; omnes populi, Reges, Reguli, nisi leges has aboleuerint, execrãdi, dirisque devovendi sunt, & tota, ut sic dicam, fulminum istorum officina exhaurienda; aut, quæ diuturno usu, & tacita Pontificum assensione, interpretationem certam, & confirmationem quandam iam habuerunt, minimè sunt mutanda.

Quanquam, si quid veri video, Senatusconsultum ad Ecclesiasticas res non pertinet, sed ad eas, quæ nostri sunt iuris, neque enim quæ ante Senatusconsultum legata fuerant, vendi mandat, sed ea tantùm, quæ postea legabuntur. Quare, quemadmodum longo intervallo hæc inter se distant, vtrum scilicet Lex puellam iam cœnobium ingressam, an ingressuram paterna hæreditate excludat, ita etiam utrum iam quæsita vendi iubeat, an quærenda, longum esse discrimen, nemo qui paulò attentius ista perpendat, poterit diffiteri: atque hoc fortasse rei caput est, in quo tamen explicando iccirco sum breuior, quòd mihi tam perspicuum videtur, ut attigisse, & indicasse, sit satis. Tua igitur summa prudentia, summaque ingenii, & doctrinæ præstantia, an hoc ita sit, uti dixi, etiam me nullas ad id demonstrandum argumentationes afferente, facile cognoscet. Nam ad reliqua festinat oratio.

Imminutæ Ecclesiasticę Libertatis reos nos facis, propterea quòd Clericos aliquando in vincula conijci, & capite luere scelerum pœnas iubemus. Vtinam, B. P. ætas hęc nostra eos Sacerdotes haberet, de quibus meritò dici posset, Nolite tangere Christos meos. nullibi eorum dignitas maior, quàm apud nos foret. Sed res longè secus se habet quam pauci enim sunt, qui ordinis, muneris, & sacrorum memores, vti deceret, ætatem agant: quam contra multi, qui non à stupris, non ab adulterijs, non à cædibus, non à veneficiis, non à parricidijs abstineant, aut si quid grauius potest excogitari. Et quisquam huiusmodi homines Sacerdotum, aut Clericorum numero habet, qui se non modo Sacerdotes,

ſed ne homines quidem eſſe meminerunt? quiſquam horum ſupplicio parcat, qui nulli flagitio pepercerunt? quiſquam eos vinculis eximat, qui ſe ipſos omnium facinorum vinculis conſtrinxerunt? quiſquam Eccleſiaſticæ Libertatis mentionem facientes audiat, qui omnibus vitijs turpiſſimè ſeruiunt, & ſeruierunt? O infelicem Libertatem, ſub cuius clypeo ſeruitus iſta tam fœda latére audet. Huccine res redijt, ut, quæ ad diuinum cultum inuitare debuit, ea ad nequitiam, ad ſcelera, inuitamento, & incitamento, (nollem dicere, dicendum eſt tamen) etiam præſidio ſit? quid enim aliud nunc apud quoſdam ſacris initiatos iſta Libertas, quam peccandi licentia? Et miramur, Pater ſanctiſſime, ſi Princeps optimus, & grauiſſimus eiuſmodi homines, vel potius monſtra teterrima ferre non poteſt? At ſuum iudicem habent, qui de eis ſupplicium ſumat. Fateor: ideoque non delicta leuia, ſed atrocia, truculenta, nefaria, Magiſtratuum noſtrorum iudicijs vindicantur. nec verò lex Pontificia hac in re nobis aduerſatur: quin fauet maximè, & vltro gladium porrigit; nec expectari Epiſcopum iubet, cuius auctoritatem infirmiorem aliquando potentiorum hominum audacia facile perrumpit, eludit, contemnit. Quid igitur nobis ſuccenſes, qui ea facinora tantum coercemus, quæ legum ipſarum permiſſu licet? Quid, quòd duodecimum iam ſæculum eſt, cum hic grauiora Clericorum delicta puniendi mos apud nos viget? Quid, quòd nullus vnquam eum Pontifex improbauit? quod certe, aliquis fuiſſet, qui feciſſet, ſi iniquum, & non ferendum iudicaſſet; præſertim cum ab eo anno, quo Vrbis noſtræ fundamenta ſunt iacta, vſque ad hanc diem, ferè ducenti Pontifices numerentur; in his permulti, qui opinione ſanctitatis, & miraculis claruerunt, & in Diuorum numerum ſunt relati. Tu ne igitur, B. P. tam antiquum Morem antiquandum, tot Pontificum Maximorum, qui ante te fuerunt, tacitam approbationem improbandam, tam diuturni temporis vim oppugnandam, immortalitatem ipſam quodammodo abrogandam putas? Quid enim aliud eſt, mille ducentorum annorum Conſuetudinem delere conari, quam immortalitatem, ſi ita fas dicere, morte mulctare? An te præterit, tempus eſſe, quod iniuſtæ quoque Poſſeſſioni vitium detrahit? quid efficit, ut bona minus bonâ fide ab his, à quibus ad nos peruenere, quæſita, eo iure obtineamus, quo qui optimo? quod regna, & Imperia per ſcelus parta cõfirmat? quod fortaſſe fuit in cauſa, cur Dominus, & Liberator noſter tributum Cæſari non ſolùm ab alijs ſoluendum cenſuerit, ſed & ipſe perſoluerit? Quòd ſi

hæc

hæc parum te mouent, quæ certe debent mouere plurimum, an ne illud quidem mouebit, quòd Consuetudo vetustissima priuilegij loco habetur,& quod eius auctoritate fit,tam iure fieri creditur, quam si Princeps, cui ius concedendi,sciens,& prudens,id ut fieri posset, concessisset? Mihi id affirmanti non credis? at tibi ipsi credito. Cum dico, Tibi, dico, Academiis omnibus:omnibus,qui vbique sunt,aut fuerunt,Iurisperitis. quid enim tu aliud,quam Sedes, domicilium, & receptaculum omnis Scientiæ,in primisque huius iuris, quo Christiana Resp. gubernatur? Fac igitur Venetos,ut ea lege, quæ est , de Sacerdotibus à Magistratu profano non plectendis,eos solueres,à te petijsse; causas, cur id sibi concedi deberet, commemorasse; te eorum postulatis annuisse; Priuilegium irrogasse;in tabulas publicas referri iussisse. quæso , vellesne, etiam si maxime posses,illud nunc irritum facere, rescindere, abrogare? Equidem si tuam summam sapientiam , summamque animi moderationem recte noui, non faceres:& si quis tibi,ut faceres,persuadere conaretur,ita forsitan responderes Venetorum pura,incorruptaque religio erga Sanctam Romanam Ecclesiam fides mihi est optime perspecta, & cognita. Pignora habeo bella pro Sedis huius defensione suscepta, Sanguinem pugnando fusum; Imperatoris filium in nauali prælio olim captum; Imperatorem ipsum ad pacem, & veniam petendam adductum, Pōtificem suum in locum restitutum. quarum rerum memoria exstabit, dum orbis exstabit. Scio eos non odio in Clericos, sed quo facilius à flagitiis absterreantur, hanc in eos iuris dicundi facultatem petiisse,qua etiam mitissime,& moderatissime sunt vsi. Cur igitur Principi ornatissimo,Senatoribus religiosissimis hanc infamiæ notam inuram, ut, quos pios, Sacerdotij colentes, Ecclesiasticæ Immunitatis propugnatores censuerim,nunc impios, sacri ordinis hostes, Ecclesiæ oppugnatores videar iudicasse? Licuit mihi fortasse initio non concedere:nunc iniurium, concessa adimere, & ad nihilum reuocare. Fruantur igitur,fruantur Priuilegio, quo non tam ditionem suam augent,quam meam tuentur. Eorum enim manus, meæ sunt manus:mihi Sacerdotes in officio continent, mihi corrigunt, mihi puniunt. Hæc tu,inquam,B.P. aut,quæ tua est grauitas, multo etiam grauiora. Sed si diplomati in membrana aliqua exarato tantum tribueres, ut abolendum non putares, quid vetustissimæ , & ab Vrbe condita hucusque perductæ Consuetudini facies,id est, Priuilegio non in deletitias tabellas relato, sed inciso in æs ipsius quodāmodo Aeternitatis? an adhuc fortas-

ſe,quæ contra à viris præcellentiſſimis diſputantur,apud te plus valebũt? quid ſimile,aut par? Confer,ſi placet.Illa pia : hæc iuſta. illa genere vera: hæc ſpecie.illa Pontifex probes . hæc Princeps teneas. illis oblectere ; his obligere.ac ne illi quidem viri eruditiſſimi,qui in hac cauſa in nos tam acriter ſunt inuecti,hoc feciſſent, ſi noſtræ Ciuitatis iura didiciſſent. Sed aut in ea pedem nunquam poſuerunt, aut biduum tantummodo commorati,aut in aliena Rep.curioſi eſſe noluerunt.Ne longum faciam,ſumma hæc eſto.aut tu Vrbem noſtram tibi funditus euertendam ſta tue, aut Mores cum muris & fundamentis ipſius Vrbis natos,conſtantiſſimeque ſeruatos ſine nos retinere.quorum alterum optare , hoſtium noſtrorum, ſiqui tam immanes, tam barbari ſunt acerbitatis , & ſæuitiæ eſt : alterum facere,æquanimitatis,& prudentiæ tuæ.

At Veneti , inquies , parum æqui in Religioſos , qui bonorum Emphiteuticorum ad Eccleſias reuerſiones lege lata ſuſtulerunt:& cum ea de re inter inſigne Cœnobium , & Laicum quendam controuerſia eſſet , pro Laico contra Cœnobium iudicarunt. hoc enim eſt tertium , quod magni criminis loco nobis obijcitur.Hic ego ſi alio eſſem ingenio,aliis moribus, quæ vela poſſem orationi pandere? quam altè exordiri? quam longe , lateque exſpatiari? qui mihi ſeſe aperiret campus, de immenſis Monachorum Copijs,opibus,latifundijs,reditibus annuis,villis , oppidis , vrbibus, quæ in eorum poteſtate ſunt,de ſumptuoſis ædificiis,hortorum amænitatibus,equorum nobilium gregibus,aliis id genus commodis , & delitiis, quibus affluunt , diſſerendi? quam facile hæc omnia in inuidiam , in odium poſſem vocare? præſertim cum dicerem, eos nec concionibus habendis,nec confeſſionibus audiendis,nec ægrotis inuiſendis,nec mortuis humandis vacare,ſed ab omnibus plane officijs, quibus humanæ vitæ ſocietas continetur,feriatos,velut inutilia terræ pondera,in vmbra,in ocio conſeneſcere. Sed nemo expectet,dum à me hæc inſtituatur oratio non eſt modeſtiæ meæ,non religionis,non pietatis,ſtilum veneno armare , in eum præſertim ordinem , ex quo tot clariſſima Eccleſiæ lumina effulſerunt; qui infelicibus illis Hunnorum,Gotthorum , Longobardorum , aliarumque eiuſmodi nationum temporibus , litteras penè morientes ad vitam reuocauit; qui Pontificum ſeminarium , Regum receptaculum, Principum portus, ac perfugium fuit; qui hodieque tot , tamque nobilia & erudita alit ingenia , quorum otioſis laboribus non ſolum hæc ætas, ſed & omnis poſteritas illuſtrabitur. Impij quidam homines , diuini numinis

minis contemptores, religionis irrisores impura lingua, & calamo, in cœtum illum venerabilem debacchari, fas arbitrentur: alia ego incedam via, alia defensione vtar. Primum enim illud dico, præstantissimos aliquot iurisconsultos sensisse, Ecclesiam vectigalem agrum ad se reuersum, eius qui nouissimè obijt, propinquo petenti debere omnino concedere. Laudandorum, ut mos, auctorum labore supersedeo, quid enim opus? apud te potissimum B. P. qui totum vitę curriculum in studijs artium bonarum consumpsisti; omnium iurisperitorum volumina diurna, nocturnaque manu versasti; ad Pontificatum administrandum non solum eximiam quandam vitę integritatem, piamque voluntatem, (quod ipsum per se maximum est) sed etiam admirabilem diuinarum, humanarumque rerum cognitionem attulisti: ad te ipsum igitur hac in re confugio, tuam testor, & imploro fidem, qui hæc optime memoria tenes, quique non ignoras, Ecclesiam, ceu bonam matrem, lac suis debere sufficere filiis, non subducere. Deinde nego apud nos legem vllam exstare, quæ agrum Emphiteuticum ad Ecclesiam reuerti vetet, nisi si quis inter Censum, & Emphiteusim nullum putet esse discrimen: quod certè est maximum. Nam ut viri doctissimi prodiderunt, qui agrum Emphiteuticum possidet, vtilis tantum dominus est, directus non item, at qui censuum, & vtilis, & directus. Hinc ager censuus apud veteres, qui poterat emi, & vendi. Quòd si de Emphiteusi in lege nostra verbum nullum, cur obsecro abolenda? cur non potius summe laudanda, & approbanda? Iacebant olim in his regionibus loca deserta, squalida, vepribus obsita, mersa paludibus, de quibus recte diceres, nec fertilis illa iuuencis, nec pecori opportuna seges, nec commoda Baccho. Ea principes viri, aut Ecclesiæ, quarum sub ditione erant, nonnullis habenda concessere, ea lege, ut aliquid annuum soluerent, ne penitus immunes viderentur. Hi cum se non conductores, sed dominos esse intelligerent, nec vnquam futurum putarēt, ut quisquam eis, eorum nepotibus diceret, Hæc mea sunt, veteres migrate coloni: pauperes primum lares ibi posuere, rarisque tectis mapalia habitauere: deinde ætatem totam in fodiendo, runcando, euellendo, arādo, contriuere. Nati ibi filij, Nepotes, Pronepotes, & post longam annorum seriem, tota facies rei mutata? vt que agri illi steriles, horridi, infecūdi, siluestrem animum, & aspectum exuerint, ut pro lupis, & apris, ouium greges, pro ferarum latibulis, villas, pro dumis, & iuncis segetes, pro nemoribus vineas cernere liceat, effectum. quæ loca nunc agricolæ sua

regna appellant. Aequum ne igitur eorum possessores nunc inde expelli, vt Ecclesia, quæ pietatis est cultrix, hæc omnia auferat, rapiat, in sanguinem, succumque suum convertat? An non de ea diceretur id quod olim dictum ferunt de Fisco, nempe lieni similem esse, quo intumescente, ceteri artus macie conficiuntur? Iccirco ne igitur Principi nostro dies dicenda, sacris interdicendum, imperium prope abrogandum fuit, quòd legem sanxerit plenam æquitatis, & pietatis? quodque ea statuerit quibus ciuium, rusticorum, opificum, omnium denique Reip. membrorum salus continetur, sine quibus salva ipsa esse non potest? Equidem haud sum ignarus, cum Princeps nullam regni tuendi curam suscipit, gubernacula abijcit, omnia vastari, deripi patitur, nihil non auaritiæ, aut libidini familiarium permitit, solitos esse Pontifices se interponere, rei labanti subuenire, regna etiam ad meliores transferre. at, quòd ob Remp. seruatam, bonis legibus septam & communitam, execratio, sacrorum interdictio, à corpore Ecclesiæ auulsio sit consecuta, nunquam fando auditum. Sed de re dilucida nimis multa. Quare venio ad quartum caput, quod & postremum: idque paucis absoluo.

Accusamur, quòd Aedium sacrarum nouæ, inscio atque inconsulto Principe, substructiones, lege à Senatu lata, sunt interdictæ. In qua tandem Vrbe homines summi illi quidem, atque perboni, bonitate tamen sua, non aliena malitia, non horum temporum conditione, non insidiarum, quæ quotidie Principibus tendi solent, vitandarum difficultate, omnia metientes, & humanæ cautioni nihil loci fermè relinquentes, hoc disputant? an non in ea, quæ primum ædes Publicolæ, domini ipsius iussu dirui vidit, propterea quòd editiore loco constructæ essent, & iccirco regni ab eo affectati suspicionem liberæ Ciuitati injecissent? Laudatur igitur Populus Romanus, quòd ob vnam domum in aliquo vrbis cliuo, ad vim ceteris Vrbis partibus inferendam, idoneo, ædificatam, Libertatis amittendæ metu, perturbatus, commotus, atquæ examinatus est; Laudatur itidem Senator ille optimus, & præstantissimus, quòd demoliri domum maluerit, quam non hanc ab se suspicionem amoliri. Nos accusamur, deuouemur, damnamur, ob eam rem, quòd ne templi specie iugum aliquod seruitutis nostris ceruicibus imponatur, multo ante prospeximus. Laudantur itidem Accusatores nostri, propterea quòd summa ope nituntur, vt Vrbes nostras in aperto discrimine versari, tormentis quati, occupari, in hostium potestatem redigi

patia-

patiamur. Quid enim aliud dicunt, qui nos ad legem hanc abrogandā adigi volunt, nisi ista propemodum? Nolumus vos, Veneti, cautos esse, non vigilantes, non de Imperio, & salute vestra conseruanda sollicitos, nolumus animi aciem longe protendere, nec quæ possunt accidere, præuidere. nolumus scire, quid domi vestræ agatur, qui homines Vrbes vestras ingrediantur, quid struant, quid moliantur. Liceat vnicuique per cuniculos, per proditionem, vestra inuadere. Vos interim dormitote. Hæc, hæc dicere videntur, qui legem oppugnant. quæ cuiusmodi sint, Pater sapientissime, ipse perspicis. At domus priuata longe discrepat templo. Vir religionis veræ expers, homine Christiano. Quis neget? sed quid prohibet, quin templum munito loco positum, aut à malis Ciuibus, aut ab exteris hostibus occupetur, & ab vsu salutari ad exitialem transferatur? Scilicet expectare debuimus, dum moles aliqua surgeret, murorumque ingentes minæ periculum grave nobis minitarentur; & dum Laocoon aliquis exclamaret. ò miseri quæ tanta insania Ciues? Hæc hæc in nostros fabricata est machina muros, Inspectura domos, venturaque desuper vrbi. An non fuit satius, huic malo occurrere, &, ne inscij, & oscitantes opprimamur, præcauere? Quòd si quæ ædificia solo nostro imponantur, scire, nostra nil interest? an etiam, qui sint, qui ædificent, scire, nil refert? Si regiones proximæ pestilentia laborarent, portas vrbium clauderemus, aut custodiendas fidis hominibus mandaremus, quis hospes aduentet, profanus, an Clericus, vnde profectus, quas merces vehat, exploraremus, & nisi codicillos salutares proferat, aditu prohiberemus, ne morum, aut religionis contagio, sub ignota facie ad nos serpet, & nostris in Vrbibus domicilium sibi constituat, non enitemur? Impedior verecundia, ne sim longior, in ea præsertim re, in qua Senatus Veneti non solum prudentia, verum etiam religio, & pietas maxima elucet. Quare finem facio.

B. P. summum te immortalis Deus rerum humanarum ad culmen euexit. pulcherrimam Europæ partem ab omni perturbatione vacuam tuæ custodiæ commendauit, & tradidit. Nihil tibi sit antiquius, quam vt quo in statu eam accepisti, conserues; reminiscere, quam soleant æternis litterarum monumentis illi Pontifices celebrari & in cœlo poni, sub quibus pacata omnia: quam contra illorum memoria iniucunda, quorum ductu infausto, aut nimia asperitate, nostro, aut externo sanguine campi redundarunt. Cuiuis scintillam è silice excutere ignem que accendere, in manu est; at cum flamma omnia corripuit iamque

violentior, & robustior facta est, ne si cupias quidem, & summa ope cõtendas, possis exstinguere. Propone tibi ante oculos multas, & magnas nationes, quæ pugnandi occasionem hiantibus faucibus expectant, & aut tuo, aut nostro cruore diuturnam sitim explere cupientes, hùc ad primum timpani sonitum, aut tubæ clangorem, torrentis instar, sunt irrupturæ. Haud ita facile existimes, Reges, quamquam maxime pios tuam sese ad causam adiuncturos. Vident suæ nunc patientiæ periculũ fieri, in aliena causa. Vident, si hic mos inualuerit, regna perturbandi, populos ad defectionem impellendi, omnes ad arma concitandi, huic, vt legem ferat, illi, ut abroget imperandi, vana apud se honoris insignia, apud Pontifices regiam potestatem futuram. illud etiam te, æquum est, cogitare, Immunitatem istam tacito gentium studio, & cõsensu Ecclesię, Ecclesiasticisque personis delatam, humanitate, benignitate, officijs, retinendam esse; non vi, non minis, non execrationibus, extorquendam. alioquin euenturum, vt non Immunitatem, sed Immanitatem plerique omnes eam appellent. molles, & delicatos esse magnorum Principum animos, qui cogi nolint, sed allici, postremo illud identidem tecum reuolue, & nunquam ex animo elabi sinas, nullum deterius consilium capi posse, quam si quis lęua dexteram studeat amputare.

Sed ò ego imprudens, atque adeo stultitia ipsa stultior, qui hæc tibi suggeram. Summa in te, B P. prudentia est. Qui igitur per te ipse non videas, quę rerum moles impendeat, quæ tempestas, quam turbulenta, & periculosa cooriatur, nisi te ad lenitatem des, & rem dexteritate quadam, tranquillum in Statum adducas? Summa in te bonitas. Qui nolis publicę quieti consulere, cum facile possis? Ceterum Deus Opt. Max. tua consilia dirigat, eam que rationem ostendat, qua Vrbem omnium pulcherrimam, nobilissimam, Christianissimam, non modo à te non disiungas, verum etiam summo tibi beneficio obstringas, Italię pacem, populis hilaritatem, exteris quiscendi, & abstinendi voluntatem, Romanis finibus securitatem, omnibus, mortalibus tui nominis admirationem parias, & caritatem.

FINIS.

Varsaviam 1626 . 26 Febr.

Audio dixisse R^mum Legatum haec verba: Habebunt
Iesuitae pro suo favore sententiam: Si haec ita sunt
vereor iudicium. Neque enim decet sedem summā
ad favores inclinari. Christus est Veritas, Via, Lux
Vicarius igitur Christi est Vicarius Veritatis Viae
atque lucis. Respectus ad personas quascunque aut fa
vores tenebrae sunt densissimae. Sciant autem totū mun
dum iudicaturum de iudicio aut Rotae aut summi
Pontificis. Si quid diversum fiat, lapides etiam clama
bunt. Unionem nobis ne Sanctus quidem Paulus per
suaserit, qui scimus artes omnes Iesuiticas tam probe
quam septuagenarius aliquis Iesuita, aut eo plus. Re
velabuntur aliquando. Interim nos Philosophorum il
lud considerabimus: Ens, Unum, Verum, Bonū converti.
Magno intervallo distant Unum et Unitum. Unū est
Unum. Unitum multa continet. Lupus dū ovem
appetit, Unionem appetit. Vult enim carnem ovis
in suam hoc est lupi carnem converti. Mitto haec
Unū exemplar per occasionem tradat R^mo Legato.
Vale. Cracoviae 26 Febr. 1626.

SIN e CERE moniis

Si quid habes Iesu, vita ne gram tibi partem
Qui socium fingit latro vafer rapiet.

Gdy na Grab
ka zdal Bell
pa pierwszy
wszno [illegible]
Mse Vide X slowsie
napisa.
lege in decu
notu
faciam [illegible]
[illegible]